DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

Auctore Gulielmo Campbell

PRAEFANDA.

Mirum forsan videatur nos argumentum scribendi delegisse, quod complures et celeberrimi auctores, experientiâ et sagacitate nobis longè meliores, jampridem fusissimè tractaverunt.

Quoniam vero Dysenteriam curare saepius mihi contigerit, dum in Mari Mediterraneo, Africae litoribus, Insulis Caribbaeis, Americâ Australi stipendium facerem; necnon gravem illius accessum ipse perpessus sim, eo facilius adducar ut inde materiam Disputationis Inauguralis sumerem.

MORBI

MORBI HISTORIA.

Omnibus anni tempestatibus hoc malum, in regionibus quibus maximè grassatur, occurrere potest, autumno, tamen proclivior est, vel tempestate talium regionum pluviali: quam ob causam, in humili semper et paludosâ plagâ, qualiscunque sit coeli temperies, reperitur. Omnium aetatum corporum, temperamentorum homines Dysenteriae obnoxii sunt; maximè tamen ii quorum alvus naturâ datur mobilior, quive alias morbo propensi sunt; nulli tamen magis quam qui eodem quondam laboraverunt.

Affectus iste cum aliis et inflammatoriis saepenumero complicatur, veluti Hepatitide, febribus continuis, remittentibus, intermittentibus; quamvis quatenus ipse viderim lenis certè apparuit, si cum Dysenteriâ aliorum scriptorum conferatur.

Illustrissimo Culleno hunc ad modum definitur: "Pyrexia contagiosa; dejectiones frequentes, mucosae, vel sanguinolentae, retentis plerumque faecibus alvinis; tormina; tenesmus."

Haecce definitio, nisi si pyrexiae contagiosae objicias,

objicias, eâ perspicuitate et accuratione, quâ scripta praeclari hujus Professoris semper nitent, delineatur; atque si recentiorum labores hunc morbum a contagione vindicârunt, posteri utique juniores exinde multum incommodi et anxietatis evadunt.

Exempla verò, quae proprio marte nobis observata sunt, indicia et ordinem qui sequitur, demonstrabant.

Dolorem capitis molestum aeger conquestus est, sitim, flatum per intestina; tormina, crebra sed irrita dejiciendi voluntas, conamina ad idem graviora, insueta.

Pulsus intenditur, lingua albet. Ingravescento morbo, mala quoque exacerbantur, dolor capitis, nausea, sitis in dies molestior, tormina gravissima fiunt; dejiciendi cupiditates, tenesmus, miserè importunae: lingua materiâ quâdam flavâ tenace obtegitur. Vasorum actio haud parum vehementior fit, pulsu interea centies, etiam centies vigesiesque in tempore solito micante: oculi hebetes apparent, spiritus celeratior.

Quod ad materiam dejectam, haec varia admodum erat. Primo stercora duriora ferè de-

scendunt,

scendunt, nigricantia, muco et sanguine obvoluta, aliquando ex his omnino constituta, sed tunc parcissima et cum tenesmo dolente. Alias cinerei coloris essent, copiosa, odore carentia: alias viridescerent, jam biliosa et foetidissima.

Talis ferè morbus existebat, qui propriae observationi semet offerebat, curationi quidem jam dicendae plerumque cessurus.

Tibi igitur malum apud alios descriptum legenti haec non nisi simplicissima ejus species jure videbitur.

Hi vero scriptores cito sed paulatim ingravescere, aut in habitum vetustum properare morbum conspexere. Quum morbus exacerbatur, tum pulsus, durissimus, fortis, frequens; cutis ardens, arida; sitis importuna: si quid ventriculo fuerit assumptum, aut vomitu statim rejicitur, aut molestum ponderis cujusdam ibi loci sensum efficit. Sumpto quidem vel non sumpto in ventriculum cibo, vomitus semper miserè vexat, respiratio magis adhuc citatur; cupiditates denique desidendi tam crebro redeunt, ut aegrè lecto quiescere hominem sinant. Interea membranulae quasi dejiciuntur, ut etiam

sanguis

sanguis modo miscellaneus, modo purus. Urina simul difficilè excernitur, vel in nonnullis exemplis supprimitur.

Morbus pari passu cum aegri cruciatibus progreditur. Subinde per anum materia fertur sanguinea, biliosa, viridis; atque malum ad exitum funestum deproperat. Delirium, cum singultu, tendinum subsultu, sudoribus viscidis accedunt, membra extrema inalgescunt, motus sanguinis vasorum languet, brevique aeger miseriis morte liberatur.

Quando hoc malum pestiferum non fuerit, dum acutum vigeret, sed in veterem conditionem transierit, omnia indicia molesta imprimis plus minusve levantur, praesertim tormina, tenesmus, desidendi cupiditas, adeo ut qui morbum non probè noverunt, hominem cito ad valetudinem rediturum crediderunt, quod nonnunquam vero, licet rarissime accidit. Longè enim saepius refectione lentâ, diutinâ, maceratur, aut vivere simul et cruciari desinit.

Vetusto quidem morbo, alvus varia admodum tam specie, quam misturâ existit: crebro descendit, sexies usque vel octies in die, modo vero aquosa, modo rursus naturae proxima.

Subinde

Subinde quoque muco vel sanguinis pauxillo mista, vel cinerei pallidi coloris, quae omnes variationes ejus intra breve spatium accidere possunt.

Sub eâdem morbi formâ, cibi appetitus non multum laeditur; sed statim ac quiddam aeger cepisset, desidendi illicò cupiditas invaserit; quod haud semel notavi, cum torminibus gravioribus, neque raro cum cibo foras parum concocto exeunte.

Cutis ferè arida, cum lentâ febre, vespere aut nocte intempestiva accedente: cubantis vultus denique fit fuscus, luridus, corpus extenuatur, atque a nisu levissimo sudore diffluit.

Cuticulae quoque exulcerationes, ulceraque prope anum videntur, a stimulo nimirum dejectionum acrium provenientia, necnon ab irritatione conaminum ut stercora expellantur irritorum; quae vero tandem elicita, cruciatum misero ardoremque nefandum simul afferunt.

Hunc ad modum plerumque perseverat morbus longus, donec sensim meliorescens Dysentericum in sanitatem restituat, vel contrà multum exacerbatus vires surripiat.

Quod ad febris comitantis ingenium pertinet, haec

haec plerumque continuare vel remittere visa est, sic tamen ut speciem intermittentis nonnunquam induerit.

QUAE CORPORE INCISO VIDENTUR.

Quemadmodum corpora Dysenteriâ consumpta semet habere incisori ostendant, infra docetur.

Abdominis pariete reciso, reflexoque, vasa in omento et mesenterio sanguinem vehentia, haud mediocriter eodem distenta apparent. Hepar in inflammatione fuisse invenitur, cujus asseclae quoque, amplificatio, durities, neque rarò abscessus unus et alter in substantiâ penitiore deprensus. Fellis vesica nonnunquam augetur, et bilis quam continet, varia admodum, modo tenax, lenta, modo coagulata, apparet.*

Colon saepe crassius, contractum; alias gangraenâ implicatum, aut per tunicam villosam ulceribus

* Vide Joannis Pringle Librum de Exercitûs Morbis.

ulceribus et abrasione deforme; rectum ulceratum aliquando, gangraenâ quoque affectum, neque tenuiora intestina inflammationis notis carent.

In Dysenteriâ protractâ praeter species supra comprehensas, lien et pancreas aucta, indurata, videntur: glandes mesentericae saepe duplò augmentantur, tubercula colon, inter tunicam nimirum villosam et musculosam, obsident.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Quoniam autumnum, vel tempestates pluviosas Dysenteria maximè infestet, sub hoc loco auctores plura ad coeli habitum spectantia, ut causas praedisponentes referre solent: exempli gratiâ calorem universum, humoremque, exhalationes rerum herbacearum simul computrescentium.

Eques clarissimus Joannes Pringle sanguinis quoque putredinem praeter naturam ad Dysenteriam praeparare corpus proposuit. Haec verba habet:

"For,

"For, in general, it may be remarked, that this disease, *ceteris paribus*, prevails mostly, among such as are of a scorbutic (that is a putrid) habit, or among the poorer people, who, from foul air, bad diet, and nastiness, are most liable to putrid diseases."

Annis salutis millesimo octingentesimo nono et decimo, quando Mari Mediterraneo medicinae officio fungerer, Dysenteria diversis temporibus navem nostram aggressa est; et quamvis socii navales scorbuto haud pauci laborarent, et communi navis commeatu vesci nihilominus cogerentur, non ideo huic morbo eos obnoxiores esse observaveram.

Carnium salinarum per longas navigationes, nec ut decet intermissarum, convictus, alii causati sunt; aquam quoque nimis diutino situ corruptam: de quibus hoc saltem annotare possum, quod navis bellicae cui medicinam eodem mari facerem, nautae per annum dimidiumque non nisi ter cibum ex carne recenti sortiebantur, nave nimirum per id temporis in alto detentâ; neque tamen videre potui illud ullo in modo ad morbum disponere aliquem,

 qualiscunque

qualiscunque esset valetudinis, aetatis, temperamenti, corporisve constitutionis.

Commoratio sub coelo fervidiore diuturna, vigorem corporis universi imminuendo, debilitatem praecipuè, et languidum circuitum Hepatis inducendo, causa ni fallor, maxime generalis et potentissima praedisponens existit.

Circuitu quidem sanguinis per hepar praeter naturam languente, manifestum fit, plenitudinem universam vel congestionem cito factum iri in vasis intestinorum quae venam portarum maxime constituant; manifestum quoque, ut haec Plethora vasorum in intestinis, ea ad inflammationem proclivia reddita sit.

CAUSAE EXCITANTES.

Frequentissimae inter causas Dysenteriae sunt magnae et subitae tempestatis conversiones, a calore ad frigus, quae ferè per tempestates regionum calidarum pluviales videntur.

Frigus vel humor corpori universo, aut parti tantum veluti membris inferioribus admotum, pleno

pleno sed nocturno Jove dormiisse, roribus frigidis, gravioribus harum regionum patefactum; malum saepius induxerunt. Sic nautis militibusque postquam liquoribus vinosis probè poti fuerint, noctem totam humi ebriis stertere familiare est, nec rarò morbo exinde vexari.

Aquam frigidam in ventriculo subito et largè assumptam, corpore interim nimium excalefacto, et sudore fluente, vel exercitatione quavis fatigato, haud pauci homines, ut mihi probè constat, morbum ipsis incitasse affirmârunt.

Victûs quoque mutationes aliquas ortum morbo praebuisse nonnulli scripserunt. Saepe utique observavi quum a longa navigatione in portum rediremus, per quam carnibus salitis plerumque vescebamur quumque portu accepti socii navales largâ copiâ ciborum recentium, sicuti carnium, olerum, aut frugum semet ingurgitarent, plures tum Dysenteriae semet simul ostenderent.

Quidem auctores contagium insignes partes agere in malo hoc concitando intelligunt, apud quos praestantissimus Joannes Pringle, ut infra, locutus.*

" In

* Vide p. 256 ejus libri.

"In camp, the contagion passes from one who is ill to his companion in the same tent, and from thence perhaps to the next.

"The foul straw becomes infected. But the great source of contagion seems to be the privies, after they have received the dysenteric excrements of those who first fell ill. The hospitals likewise spread it; for those who are admitted with the flux, not only give it to the rest of the patients, but to the nurses and other attendants on the sick."

Hanc tamen sententiam observationes quas Hunter, Johnson, aliique medici instituerunt, homines morbum nimirum pessimè exacerbatum in variis regionibus abunde contemplati, omnino repudiunt, nec contagio Dysenteriam gigni concedunt, quapropter parum hic dicendum mihi puto. Nihilominus haud inficias irem, *febrem* Dysenteriae comitem a variis rebus quales illustris supra laudatus Eques recensuit conjunctis, gigni subinde potuisse, veluti immunditia aëre impuro, victu tenui, similibusque; annon vero morbus de quo sermo est ab iisdem unquam nascatur, dubium maximopere videtur.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Opiniones de causa Dysenteriae proximâ variae admodum prolatae sunt. Cullenus inclytus ille putavit, quoniam Coli Intestini lumen per varias illius partes coarctatum ex morte inveniretur, istam necessariò a contractione hujus tubi quadam spasmodicâ pendere.

Alii ad inflammationem coli vel intestini inferioris imputârunt, opinio me judice multo veri similior. Sed omnes hujusmodi conjecturae minus placent si cum auctore quodam nupero comparentur. In causis praedisponentibus, jam hepar affici diximus, sic ut vasa venam portarum componentia plenitudine turgeant; cujus rei origo, progressus, eventus* sic a Doctore Johnson comptè recensentur:

" The equilibrium of the circulation becomes disturbed. In consequence of the torpor in the extreme vessels on the surface, the volume of blood is directed to the interior, and the balance

* Quae Theoria tamen a Thoma Clarke, in libello de morbis regionum calidarum jam ante 1801 prolata est. Cujus vide paginam 61.

lance is still farther broken by the check which the portal current meets in the liver, from a corresponding torpor in the extreme or secreting vessels of that organ; the effect of which is, that the plethora in the coeliac and mesenteric circles is now greatly augmented, and febrile symptoms commence. The perspiration being stopped, a vicarious discharge of mucus and acrid serum is thrown from the extremities of the turgid mesenteric vessels upon the internal surface of the intestines, which by this time are in a state of irritability. The disease now begins to exhibit itself unequivocally, by the uneasiness in the bowels, the frequent desire to go to stool, and the mucous discharges."

Haec opinio ex accuratissimâ Pathologiâ deducta videtur. Quod enim jecoris munera in Dysentericis mirè turbentur inter omnes convenit medicos qui artem coelo ardentiore exercuerunt: neque minus a corporis incisione fabrica ejusdem morbosè mutata demonstratur.

Morbi tamen exempla quae viderim ad priorem affectum, functiones nempe perturbatas tantummodo pertinebant, nulla enim mutatae compaginis unquam nobis occurrerunt. Ignos-

cendum

cendum mihi itaque spero, si ab auctore supra laudato paulo dissentiam, cum vasorum portae congestionem non nisi a hepate corrupto et obstructo exoriri ponat; etiamsi huic quando occurrerit casui, opinio ejus de ortu dysenteriae optime accommodatur.

Liquet nihilominus, quod Dysenterici e regionibus calidis nuper reduces, quibusque Hepatis vasa extrema perturbationem tantummodo temporariam subierunt nullum vero sanguini impedimentum opponunt, congestionem in vasculis intestinorum pati nequibunt. Contrà, ubi jecur antè morbo corruptum est ab assiduâ coeli calidioris labefactione, vitae erroribus, aliisque similibus: ubive hominem Dysenteria pluries repetiit, vel longam induit indolem; tum Hepatis depravationem, et plenitudinem circuli, quem *portalem* JOHNSON appellavit, fieri jure suspiceris.

Hic vero jecoris affectus, et plenitudo circuli portarum nil praeter causam praedisponentem haberi satis potentem debebit. Est quoddam adhuc necessarium, ni fallor, ut causa hujus morbi proxima constituatur, et hanc inflammatione vehementi membranae intestinorum inter-

nae

nae constare puto, notionem quam Clarke libello citato ediderat, et Harty* in tractatu de Dysenteria tuetur.

Hoc proposito, videlicet membranam intestinorum interiorem inflammatione correptam esse, non solum quae vivo homine visa, sed quae cadavere offeruntur, facile explicabis. Inflammatio quidem a frigore solo excitetur, Hepate non aliter affecto quam quod vasa secernentia pro tempore perturbentur: illis tamen qui coelum torridum diu incoluerunt, morbus levior vel gravior viscus illud affecisse reperietur. Atque hic causae proximae conspectus varium successum medicamentorum variorum explanaturus est.

DIAGNOSIS.

Dysenteria sibi semper adeo similis apparet ut imperitissimus medicorum vix possit in tantum errorem incidere quantus esset hunc cum morbo quovis alio confundere.

A cholera

* Vide Clarke, p. 49, et Harty, p. 3.

A cholera morbo distinguitur crebro vomitu materiae biliosae cum dejectione alternato, torminibus minus gravibus ex intervallo redeuntibus: dejectionibus sanguine plane vacuis, parvo tenesmo: febre denique levissimâ Choleram plerumque comitata.

A Diarrhoeâ facile distinguitur, imprimis per febris absentiam, tormina minus constantia, minus violenta, per dejiciendi desiderium levius, aspectum denique stercorum ipsorum.

Dysenteria cum Enteritide aut Colica non facile confundatur, quibus morbis alvus pertinaciter astricta est, dolor fixus perpetuus: febris quoque inflammatoriae plus minus a morbi initio.

PROGNOSIS.

Qu [illegible]

[illegible] Dysenteria magna cum cautione praesagire oportet. Junioribus aut obesis minus periculi est quam vetulis infirmis: experientia enim probavit, debilitatem quomodocunque inductam, celeri et felici morbi terminationi semper obstare.

 Febris

Febris vehemens, dolor Hepati infixus, delirium citò apparens formas Dysenteriae periculosiores denotant.

Tormina crudelia, dejectiones foetidae cum sanguine et materiâ viridi, biliosâ: lingua nigra, cibi plane fastidium, haec cum aliis jam dictis semper indicia portentiora habentur ab iis quibus morbum graviorem oppugnare contigit.

DE SIGNORUM RATIONE.

Vomitus quem saepe molestissimum Dysenterici patiuntur, statum illius organi irritabilem indicat: a consensu nimirum cum intestino jam morboso.

Tormina cruciabilia contractionibus intestinorum sub inflammatione tribuantur, quas tam faeces, quam materia acerrima ipsis secreta, concitarunt, tenesmus ab iisdem producitur, rectum intestinum nunc valde irritabile stimulantibus, perpetuumque dejiciendi desiderium conservantibus.

Quoniam corporum incisiones docuerunt ul-

cera

cera subinde haud modica in colo et recto prius existisse, conjiciunt, igitur, satisque probaliter, membranulas faecibus repertas exulcerationes fuisse, exque facie horum intestinorum crudâ, separatas.

Ulceratio quidem et Rosiones diversarum canalis ciborum partium, praesertim coli et recti, originem praebent sanguini per inferiorem partem demisso.

Urinae nonnunquam hoc morbo supprimuntur, cujus rei causa manifeste ab inflammatione aut irritatione vesicae ipsius petenda est; vel a consortio quodam hanc inter visceraque abdominis alia subsistente.

MEDELA.

Quum primâ hujus opusculi parte mala dysenterica descripserim praecipue ut mihimetipsi visa sint quando isthaec videndi facultas esset: ideo hic loci curationem quam ipse secutus sum imprimis proponam, aliorum qui graviorem morbum viderunt tractationem adjecturus.

Quando

Quando aeger de indiciis jam descriptis quereretur statim catapotium, Ipecacuanhae grana tria, radicis rhei palmati tantumdem habens, devorare jussus est, tertiâ quaque horâ donec nausea, vel lenis vomitio superveniunt. Potui interea decoctum avenaceum supertartrate potassae sic acescens, ut gratius sorbenti esset, propinatur. Quandocunque effectus suprà dicti contigissent, tum libera sudoris effusio sequebatur, praecipue vero per truncum corporis; tormina levabantur, atque desidendi cupiditas, quae antea urgebat, nunc multum leniebatur, vel prorsus quiesceret. Stercora quoque copiosius descendebant neque ullo ferè tenesmo.

Quum vero saepius acciderit ut pilulae non alvum aperient, eaque torpore compressa per horas aliquot etiam diem unum et alterum quamvis aeger dolore vacuus, maneret, grana sub muriatis hydrargyri quatuor, cum uncia sulphatis magnesiae sodaeve praecipiebam, quae alvum satis exoneraret. Plerisque certè hoc non opus esse inveni, quippe quos pilulae satis efficaciter sordibus consolidatis purgarent; quo facto valetudo fere levi negotio, rediret.

Ubi purgantibus uti medicamentis liberius coactus

coactus sum, ut alvum probè reserarem, profluvium fere plurium fuit dierum cum torminibus levibus, et cupiditate dejiciendi, quae tandem omnia potio cretacea cum opio repetita tollebat.

Quandoquidem ab aucto vasorum labore, aliis febris indiciis proclivitatem ad inflammationem suspicabar octodecim vel viginti sanguinis uncias detraherem, quinetiam eodem Dysenterico hoc iterare coactus sum, haud sine insigni aegrotantis beneficio.

In aquâ tepidâ desidere, a CELSO laudatum, tormina et tenesmum efficacissimè levabit. Ad hanc animum primum attendi cum ipse anno 1816, apud Insulam Jamaicam Dysenteria correptus essem, et adeo miserè tenesmo, torminibus, et desidendi cupiditate vexatus, ut per plures noctes quiescere non possem. Forte occurrebat quod nonnihil auxilii a fomentis calidis ad abdomen et anum adipiscerer, ideoque memet in solium aquae calidae per horam dimidiam demisi, idemque saepius in die repetivi. Hoc simul cum curatione supra comprehensâ, quietem placidissimam mihi noctu comparavit, insigne quoque omnium molestiarum levamen.

Quin

Quin etiam eodem successu postea in nave feliciter exhibitum vidi.

Talis fere ratio medendi fuit in plurimis Dysentericis quos curare nobis contigit per quatuor fere annos, in locis ante dictis, commorantibus, quae quidem, ut mihi gratuler, nullo in exemplo non felicissima erat. Quum vero in his exemplis nulla hepatis affectio visa est, usus hydrargyri neque indicatus fuit, nec liberè nobis adhibitus. Si res tamen aliter se habuisset, hoc praestantissimo auxilio certe usus essem, et, quousque tutò praeberi possit, praebuissem.

Tractatio illius quam descripsimus haud absimilis aliquot jam annos apud Indias Orientales et Europaeos obtinuit, et, pari ut videtur profectu.* Quod tamen plerique recentiorum medicorum praeceperunt sub murias hydrargyri est, scrupulis singulis administratus, opio et pulvere oxido antimonii cum phosphate calcis commixtus, et saepius iteratus interdiu donec saliva fluxerit; ratio vel praecipue locis inter tropicos

* Vide Pringle de Exercitus Morbis, 261, necnon Curtis de Morbis Indiae.

tropicos accommodata ut observationes viri solertissimi docent.*

"But," inquit, "whenever, in doubtful cases, I had occasion to push boldly on for ptyalism, I gave the calomel in scruple doses, which I found, by repeated experience, to sit easier than either a smaller or a larger quantity of that medicine—a curious but a certain fact."

Idem fasciam laneam abdomini circumdatam usui commendat, hydrargyri unguento, et opio imbutam.

Protinus sub morbi initio sanguinis missio liberalis magnopere profuit, praesertim cum plurimum sanguinis sedibus descenderit, neque ulla, ut apparet, debilitas injuriosa subsecuta est, quantumcunque haec olim apud medicos in regionibus calidis metueretur. Profuerunt quoque enemata mollia, oleosa, balneum calidum, fomenta calida ad tenesmum et tormina levanda.

Vomitoria de ipecacuanha et tartrate antimonii et potassae administrata sunt Dysenteriâ ingruente: nonnulla quoque purgantium mitiorum,

* Doctoris Johnson Librum de Dysenteria, 370-1.

orum, ut sulphas sodae, sulphas magnesiae et oleum ricini; cum diaphoreticis et opiatis per omnia ejus tempora; et vario profectu exhibita sunt.

Variis nunc remediis quibus Dysenteriae acutae mederi conamur expositis, proximum est ut quaedam de *longa* subjiciamus. Experimentis jampridem constat, sanationem hujus morbi *temporis* multum pendere ab aegri conditione, quod ad res aliquas externas: quam ob causam homo collocandus est ut aeris libero perflatu, munditiâ accuratissimâ fruatur. Quod ad medicamenta, in longâ Dysenteriâ profutura, longiora exempla quae ego quidem videram, potui cretaceo, *confectioni Aromaticae*, et opio repetito cesserunt: alii ab acido nitroso poto, vel kino, catechu, aliisve astringentibus: emplastris vesicantibus parti abdominis dolenti admotis, vel Opio in rectum intestinum immisso, convaluerunt. Omnino tamen scriptoribus nonnullis assentior hunc morbi statum saepe sanescere non posse, nisi coelo mutato vel Hydrargyri actione.

Quum Dysenteria stadia sua varia percurrit, sed alicui ex his medicationibus tandem, cessit, haud raro accidit ut aeger multâ debilitate, lan-

guore

guore cibique fastidio vexatur: talibus autem Quassiae infusa ferè auxiliari reperi.

Victus lenissimus esse debet, omnibus oleosis vitatis. In morbo longo farina ex lacte cocta, orchis gluten vel marantae arundinacea cum vino et saccharo pauxillo, cibum lenem simul et nutrientem aegrotanti constituet.

Vestitui quam maxime attendendum: utpote qui semper ex calidissimâ materiâ confici debet, pedes utique calidos et siccos servare, omnem errorem vel insolitam indulgentiam sedulò vitare debent. Hae cautelae eò magis necessariae erunt, si reputemus quam pronus hic morbus ad pristinam malignitatem recurrere, in iis qui semel impetum ejus sustinuerunt.

FINIS.